

nam alii curiales togati, tam Papæ quàm Cæsaris. Hoc ordine recta via per campum Floræ & Judæorum plateam ad Ecclesiam S. Mariæ in Cosmedim. Et ibi Pontifex, si rosam habet, illam eques Imperatori equiti dono dat: & ad dextram conversus trans Tiberim cum suis omnibus ad Palatium revertitur. Cæsar autem via qua sibi melius placet, rosam manu gestans, ad pontem Adrianum redit: ubi viros compluros & de se optimè meritos equestri dignitate insignire solet.

Quo facto ad Lateranam cum suis progreditur. Canonici & Capitulum Ecclesie supplicabundi Cæsari in porta principali occurrentes, illum honorificè suscipiunt, & postquam Crucem & reliquias osculatus fuerit, incensant, & præcedentes atq; canantes; Te Deum laudamus, ad altare majus deducunt: ubi proeumbens supra faldisterium orat delecto capite. Deinde surgens osculatur altare: tum resumpta corona recipitur in Canonicum & fratrem Ecclesie Lateranensis, & Canonicos omnes recipit ad osculum pacis. Quibus finitis, ascendit ad Palatium Lateranense, & cum suis celebrat solenne convivium suis moribus & ceremoniis. Deinde si placet, recurrit ad Palatium Apostolicum ad cameras suas.

CAPUT V.

De Coronatione Imperatricis sine Imperatore.

Imperatrix si venit Romam pro corona Imperiali suscipienda sine Imperatore, vel quod non potuit venire cum eo, vel quod post ejus coronationem ei est conjuncta, hoc ordine coronabitur. Die qua Urbem intrabit, procedent ei obviam nobiles & officiales Urbis, & ordines Curie, ut de Cæsare dictum est. Sacer Senatus ante portam Urbis eam expectabit, & media inter duos Cardinales Diaconos introducetur. In fine autem & sub baldachino, clero cum processione in porta illi occurrente, ducetur ad Pontificem: qui eam in publico consistorio in prima aula ad pedis & manus osculum recipiet, ut alii Reges recipi consueverunt. Non tamen sedebit inter Cardinales; sed post osculum pedis & manus discedet ad suum hospitium. Deinde parabitur in Ecclesia S. Petri suggestus extra cæcellos pro Imperatrice: & dicta die Pontifex procedet ad Ecclesiam, supplicatione præeunte sub baldachino, & paramentis temporis congruis ascendit ad altare, orat, sedet. Interim duo juniores Diaconi Cardinales cum suis cappis laneis ducunt Augustam ad Ecclesiam. Et prior Episcopus Cardinalis cum pluviali, stola, & mitra accedens in tempore expectat eam in porta Ecclesie principali; & ibi super eam genu flectentem deposita mitra legit hanc orationem: *Omnipotens sempiternus Deus, fons & origo totius hominatu, qui feminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando avertis, sed dignanter comprobando potius eligis; & qui infirma mundi quæcunq; ut fortia confunderes, eligenda decrevisti; quique etiam glorie virtutisq; tue triumphum in manu femine judaice olim plebis de hoste servissimo assignare voluisti: Respice quesumus ad preces humilitatis nostræ, ut supra hanc famulam tuam N. quam supplici devotione Imperatricem eligimus, benedictionum tuarum dona multiplices, eamq; dexterae tue potentie semper & ubiq; circumda; & ut dono tui numinis undiq; firmiter adjuva*